

**Cystotomia lateralis Moreauiana nova eademque receptis longe
praestantior, quia omnino tutior / [Karl Ludwig Friedrich Breyer].**

Contributors

Breyer, Karl Ludwig Friedrich, 1740-1799.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Bauhofii & vid. Franckii, [1764]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fzywgh5k>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9
CYSTOTOMIA LATERA-
LIS MOREAUIANA
NOVA EADEMQUE RECEPTIS
LONGE PRÆSTANTIOR, QUIA
OMNINO TUTIOR.

DE QUA
DEO CLEMENTER JUVANTE,
AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS,
PRÆSIDE

MAGNIFICO HUIUS UNIVERSITATIS RECTORE
VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO,
DOMINO

GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHIL. MED. ET CHIR. D. HUIUSQUE ET ANAT. P. P. O.
ORD. MED. SEN. ET AULIATRO WURT.

PATRONO SUO ET PRÆCEPTORE

AD CINERES DEVENERANDO
PRO GRADU DOCTORIS

D. Sept. MDCCLXIV.

PUBLICÈ DISPUTABIT

AUCTOR

CAROLUS LUDOVICUS FRIDERICUS BREYER,
Ludovicopolitanus,
MEDICUS AULICUS WIRTEMBERGENSIS.

TUBINGÆ, TYPIS BAUHOFII & Vid. FRANCKII.



* *

* *

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.



ulgato hoc prognostico tentamina academica etiam & inauguralia tyronum maxime vel primo, quibus ista superbiunt, titulorum aspectu nisi ipsemet excepisti, in ejusmodi rebus neutram in partem pro- pendens, ab aliis *tamen* ad talia dijudi- canda aptioribus excepta esse, expertus es, exceptumque iri, amplius procul dubio experieris L. B.? Ecquis vero vitio id vertet oculatioribus rerum personarumque æquioribus iudicibus. Quæ enim tam sinistra agendi ratio in eo pecu- liarem adfectare dexteritatem, in quo nullam habent? Quæ tanta arrogantia, quæ immo audacia, quæ imprudentia, in id operam impendere, ut vel aliquid novi in publicum pro- trudent,



* *
* *

* *
* *

Fieri sane nequit, ut quis in specialiorem alicujus argumenti tractationem legitime & inoffensa rerum copulatione ratoque successu descendere possit, nisi quidem illius ipsius usum fixosque, quibus circumscribitur, limites, ante oculos posuerit Lectoribus suis. Præter *usum* itaque, *methodum* & instituendam a me jam proponendorum *partitionem* ante omnia in id omnem meam operam impendere jubeor, ut animum calamumque figam in adcurate determinando, quod exponendum sumsi, *themate*, quo, ut *titulus*, ni fallor, legitime habet, sistitur: *cystotomia lateralis MOREAUIANA nova eademque receptis longe præstantior, quia omnino tutior. Cystotomia Lithotomiæ species est. Lithotomiæ* vox græca sua originatione componitur ex substantivo λίθος lapis & verbo τέμνω *feco*, cædo. Vi nominis itaque apte dicit *calculi sectionem*. Lapidæ indolis incrementa in animalium corporibus nata strictius dicuntur *calculi*. Ejusmodi lapicidinas microcosmicas fieri posse quasvis corporis humani partes, non modo indubium est, sed & factas jam esse tristissima docuerunt exempla. Calculi humani domicilia deprehensæ sunt omnes C. H. regiones à capite ad calcem usque, ut DOMINICUS PANAROLUS *observ. medic. Pentecost. II. obs. 34. naturam humanam suas ubique habere*, dixerit, *latomias* & CHRISTIANUS FRIDERICUS GARMANNUS de *miraculis Mortuorum* L. III. Lit. 3. §. 39. mirabundus exclamaverit: *quæ Corporis humani pars est? qui angulus? qui non calculorum & lapidum generationi favet?* Deprehensi sunt v. gr. calculi in cerebro, in animæ adeo sede cartesiana, in meningibus, in fronte, oculis, glandula lacrymali, nervis opticis, palpebris oculorum, superciliis, naribus, aure, parotide, labio, palato, gutture, maxilla, tonsillis, lingua, ductubus salivalibus, temporibus, dentibus, mammis, collo, scapula, aspera arteria, pulmonibus, pericardio, corde, pectoris cavitate, in hepate, vesicula bilis, liene, pan-



pancreate, mesenterio, omento, peritonæo, ventriculo, intestinis, renibus, ureteribus, vesica urinaria, in scroto, testiculo, perinæo, circa vertebrae, in lumbis, ano, vesicula seminali, vasis ejaculatoriis, utero, secundinis, uracho, umbilico, abdominis cavo, inguine, brachio, humero, cubito, digitis, in femore, patella genu, circa malleolum, in arteriis, sanguine menstruo, glandulis. Fusc & operose horum calculorum exempla collegit recensuitque MARTINUS SCHURIGIUS in *Lithologia sua historico-medica* C. II. p. 99. Omnium autem frequentissime ejusmodi latomias exhibent bilis & urinæ receptacula. Hinc in harum partium calculis removendis maxime omnem moverunt lapidem operosiores sanitatis antistites. Conf. ROSINUS LENTILIUS Parallelism. ad annum 6. & 7. M. V. C. Dec. III. ann. 7. & 8. append. p. 135. Dignus est, qui repetatur hic, quemque loco citato LENTILIUS refert, discursus GMELINIANUS ita habens: *principium lithopoieticum non tam in solis renibus & vesica quam tota massa sanguinea & humoralis delitescere & comprimis vitio stomachi primævæ digestionis debetur. Gastricus nempe liquor per inertiam e cibis magma glutinosum producit, nec atomos lapideas cum cibis devoratas rite solvit, & per intestina mixtas cum excrementis evacuat, sed implicatas glutini suo primum in intestina tunc mesenterium, postremo viscerum omnium recessus derivat, ubi denique cavitates commodas nactæ, accedente comprimis coagulata salino, in calculos compinguntur. Quæ cavitates cum in renibus & vesica reperiantur commodissimæ, serum insuper falsum ibi hospitetur, desit humorum alibi coagula magis impediens motus impetuosus, adsit contra quies huic negotio magis favens, hinc & ibi ut plurimum calculos nidulari, quamvis id alibi locorum, ceteris nempe partibus fieri possit: adeo ut nullum propemodum Corporis viscus immo ipsamet vasa, & metropolis animæ cartesiana, glandula nimirum pinealis a calculorum hospitio immunia reperta sint. Sed hæc in transcurso, quibus me immergi heic nolo. Probe etiam intelligo, plane*
alienum



alienum a themate præfixo fore, si immiscere heic vellem, quæ ad remotiorem *lithologiam theoreticam & practicam* spectant. v. c. de calculorum generatione, mole, pondere, copia & multitudine, colore, figura, analysi chemica, substantia, effectibus, signis, medicamentis lithotripticis, quæ alia male lithontriptica dicunt, eorumque usu. Varia calculorum in corpore humano hospitia eum tantum in finem obiter nominavi, ut elucescat, tantum abesse, ut quamvis calculi remotionem themate meo comprehendam, utpote quæ sæpius sine sectione perficitur, ut ne quidem omnem, quæ sectione fit, involvam. *Cystotomiam* tantum pertractare volo, lithotomiæ, ut dixi, speciem. Quemadmodum a varia in variis locis instituenda sectione varia nomina accipit sectio calculi, & v. c. si ex urethra secandus est calculus *urethrotomia*, si ex renibus, *nephrotomia* vocatur, ita si ex vesica urinaria, *cystotomia* appellatur, recepto quidem, nec à me demum adoptato, adeoque in chirurgia jam *Technico termino*. Non me quidem latet vulgo de *Lithotomia* hic obiter loqui nonnullos; verum id artis regulis repugnare, sponte patet. Sic etenim bene hæc ab aliis mox discernitur lithotomiis, & definite designat calculi ex vesica urinaria sectionem. Sed & *Cystotomia* hæc non uno modo celebrata fuit, & diverso hodiernum peragitur. Vel enim in superiori vel inferiori vesicæ parte perficitur. Quare ob locorum indeque dependens operationum discrimen à cel. C. E. ESCHENBACHIO in ipsius chirurgia §. 648. recte dispe- scitur in *cystotomiam* superiorem seu *altam*, quem & *adparatum altum* dicunt, atque *cystotomiam* inferiorem, cujus iterum tres excogitatæ & exercitæ sunt secandi methodi, quarum una vocatur *cystotomia parva*, seu *adparatus parvus*; altera *magna* seu *adparatus magnus*, tertia *lateralis* seu *adparatus lateralis*. Quarum denominationum rationes elucescent ex sequentibus. Consultum esse existimo hac vice de singulis hisce methodis non tam doctrinæ quam potius temporis ratione & ordine, quo inventæ adhibitæque fuerunt, quæ ad præ-



præfens spectant institutum, edifferere. Antiquissima eademque, quod quam maxime ipsam probat antiquitatem, simplicissima est sectio parva, quam CELSUS descripsit L. VII. c. 26. unde à quibusdam celsica sed non bene dicitur, quia CELSUS neque est Auctor hujus inventi, neque ipse hanc sectionem exercuit. Inventa enim factaque aliorum ab iis, qui illa recensent, denominare, æque absonum est, ac si, quæ heic à me describitur operatio *Moreauiana*, diceretur mea. Gloria sit, maneatque penes Auctorem. Multo magis errant, suamque in historia medica ignorantiam produnt, qui hanc methodum *Guidonianam* à *Guidone* vocant, quasi hic ejus inventor fuisset, aut eam præ aliis suo tempore exercuisset, cum neutrum ne veritatis quidem speciem habeat. Per integra nempe secula XIII. XIV. & XV. inter Italos atque Gallos præter GUIDONEM, qui a CELSO descriptam eoque tempore neglectam hanc methodum restituit, nullus existit, qui in hac arte aliquid præstiterit, & si quis existit, de nemine aliquid memoria proditum est. Hinc factum est, ut neglecta hujus Auctoris classici, CELSI lectione, hæc calculosorum sectio, a GUIDONE denuo restituta, *Guidoniana* nuncuparetur, quam tamen certe neque ipse invenit, quod haud dubie ex historia colligitur, neque solus exercuit. Præterea hanc calculosos curandi viam satis ample quoque exposuerunt BRUNUS, THEODORICUS ROLANDUS, & ex parte etiam ROGERIUS, aliique artis *chirurgicæ* Doctores, a quibus vero in quibusdam discessit Guido. Dictum quidem difficile est, qua calculosos curandi methodo usi sint veteres, HIPPOCRATIS temporibus. Vero autem simillimum est, non aliam, quam quæ à Celso monstrata est, viam illos tenuisse, quod & ipsa methodi simplicitas, antiquitatis argumentum luculentum præbens, credere suadet. Post HIPPOCRATEM nullius in hac arte insignioris magistri facta est mentio, si discesseris ab AMMONIO, qui ea propter a CELSO *λιδότομος* ideo cognominatus est, quod instrumentum pro calculo majori in vesica scindendo reperisset.



AMMONIUM secutum esse MEGEM Romæ artem exercen-
tem legimus. v. CELSUS in Præf. ad L. VII. C. XXVI.
HEROPHILI quoquo CELSI & GALENI tempore calcu-
loforum sectiones frequentiores fuisse dubio caret. Ferra-
mentum illud, quo calculi vesicæ explorantur jam ab ERA-
SISTRATO καθ'ηλγ nominatum fuit, ut habet illa, quam
alii GALENO, alii alii Autori tribuunt, Isagoge C. XVIV.
conf. GALENUS in comment. ad aphor. 18. L. VI. HIPPO-
CRATIS. Præsertim autem HELIODORUS apud GALENUM
de fasciis C. XVI. Quibus ex locis luculenter patet, notissi-
mam tum temporis fuisse calculosorum sectionem. Hinc
conjicimus non aliam fuisse, quam quæ à Celso iterum pate-
facta est. A CELSI ad PAULI ÆGINETAE ætatem, GA-
LENO excepto, nullius amplius facta est mentio, qui aliquid
notatu dignum hac de re prodiderit. PAULUS CELSUM
secutus est. L. VI. c. LX. Præterea eundem Magistrum se-
cuti sunt AVICENNA L. III. Fen. XIX. cap. VII.
ALBUCASI part. II. C. LX & LXI. A quo posteriore
Autore scalpelli non ancipitis iconem delineatam habemus,
cujus etiam inventor fuisse perhibetur, quodque non mul-
tum differt ab eo, quo CHESELDENUS usus est. Videtis
hujus rei historiam, quam JOH. ZACH: PLATNERUS
in *instit: suis chirurgiæ rationalis* §. 1356. in compendio egre-
gie exhibuit. Ex quo hæc huc referri merentur: *præterito*
seculo anno 1663, homo aliquis in Gallia exstitit Roaux nomine,
qui se dicebat hac via, quæ, quod paucissimis ferramentis perfici-
citur, minus quam illa, quæ cum magno apparatu, terrere de-
bet, cum pueros tutius curare, tum ex adultorum vesica calcu-
lum evellere posse. Burdigola Lutetiam venit, ut calculosos ibi
curaret: deprehensus autem fuit, in puerorum curatione non plus
præstare posse, quam, qui ex chirurgis cum minori ferramentorum
adparatu calculum evellebant. Habebat autem tam expeditum
manuum usum, ut facile calculum supponeret, quod, ubi vidit
aliquando cognitum fuisse, fuga sibi consuluit. v. de MINGE-
LOUZAUX comment. sur la Chirurgie de CHAULIAC T. II.



p. 739. CAROLUS DRELINCURTIUS in *Legende du Gascon* Paris. 1665. FRANC. COLOT. Tr. de l'operation de la taille p. 140. Paris. 1708. Antiquissima hæc calculosos secandi methodus, sectio proinde seu cystotomia vesicæ parva rectius, quam Celsica aut Quidoniana dicenda. *Parua* vero sectio, ob minorem ferramentorum numerum tum demum nuncupata est, postquam JOHANNES DE ROMANIS aliam invenerat pluribus instrumentis perficiendam. Neque ideo existimandum, solis ferramentis hæc methodos differre. Post CÆLsum præter supra jam citatos autores, ii omnes, qui chirurgias & cursus operationum chirurgicarum ediderunt, parvum hunc adparatum descripserunt. Eos recenset cel. KÆSTNERUS Tom. II. cap. VIII. Sect. II. §. VIII. Summa hujus methodi huc redit. Præmissis præmittendis, rite præparato, debite locato, ligato, & ministris duobus tribusve satis firmato, & in mensa, quod fere commodius fit, quam super genua ministri, figurato ægro Medicus chirurgus hanc celebraturus operationem, unguibus diligenter circumcisis, sinistræ manus unum vel duos digitos indicem nempe & medium oleo prius unctos simul in anum ægri demittit, dextramque manum superimum abdomen leniter imponit; cavendo scilicet, ne, si utrinque digiti vehementer circa calculum concurrerint, vesicam lædat. Jam calculum digitis ano imissis caute quærit repertumque ad cervicem blande compellit. Tum juxta anum incidit longa indeque ad vesicæ cervicem ducta plaga quodammodo lunata, ita ut cornua ejus coxas respiciant, deinde aliam transversam plagam facit, qua vesica aperiatur, donec urinæ iter pateat. Plaga hæc paulo major esse debet calculo, ne ægrum in certissimum conjiciat periculum, quod calculus facit, cum vi promitur. Ex quo hæmorrhagia, distentiones partium nervosarum & inflammationes. Cum via patefacta est, in conspectum calculus venit, qui si exiguus est, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi potest. Si major, injiciendus à superiori ei parte uncus, ejus rei causa factus,



is est ad extremum tenuis, in semicirculi speciem retusæ latitudinis; ab interiori parte lævis, qua corpori jungitur; ab anteriori asper, quæ calculum attingit; ubi satis teneri calculum patet, placide emovetur. At si plures calculi adsunt, digitis sinistræ manus ad plagam deduci ac protrahi debent, quod si non fieri possit, vel unco idoneo vel specillo & super hoc forcipe utendum est pro extrahendis calculis. Aliæ notatu digniores varietates hujus operationis non dantur. conf. ESCHENB. chir. §. 654. PLATNERUS §. 1387 - 89. HEISTER. P. II. C. CXL. Præsertim hic evolvi meretur HEISTERI dissertatio de hac operatione scripta, ubi ostendit eam à CHESELDENI & RAVII ratione parum diversam esse; Id quod ex eo concipit, quod RAVIUS eam à se discendi cupidos semper ad Celsum recurrere jusserit. vid. MORAND. Memoir. anni. 1731. p. 227. Methodus hæc laudatur ab his, culpatur ab illis. Et sua reaspe habet commoda & incommoda. Neque itaque ad solos pueros horumque ætatem CELSO duce restringenda est, neque in iis, in quibus tutius alio modo exsecari potest calculus, ad ministranda. Ex quo dijudicandæ aliorum hac in re sententiæ, eorum, qui vel ne juniorum quidem calculos tuto hac via educi posse statuunt, vel nimis eam extollunt. Si calculus in collo vesicæ hæret, & ita perinæo insidet, ut hoc in tumorem elevet, vel hac in regione plane concretus est, certe non nisi hoc modo extrahi oportet. G. de la FAYE in notis ad DIONYSII chirurgiam p. 221. huic quoque sectioni peculiaris præ aliis commoda tribuit. V. ESCHENBACHIIUS in chirurg. §. 654. Ejusdem utilitatem variis quoque argumentis probat Cel. HEISTERUS in Institut. chirurg. p. m. 902. & 979. conf. DENYSIUS in observat. chirurg. de calculo p. 95. Difficultates contra, quibus premitur hæc operatio, creant calculi majores, quibus ita satis ampla via tuto parari nequit; majus vesicæ in adultis spatium, ex quo ad debitum locum non possunt compelli in eoque contineri; calculi porro asperi, spinosi, qui sine damnosa vesicæ vulne
ratione



ratione adduci & educi nequeunt. Id quod jam veteribus perspectum fuit, unde CELSUS L. VII. C. XXVI. §. 2. Sunt, inquit, *quidam non asperi tantummodo sed spinosi quoque calculi, qui in vesica non raro vel conquiruntur vel attrahuntur: quoniam ubi illam convulnerant ex distensione nervorum mortem maturant.* Perspectis difficultatibus methodi calculosos curandi à CELSO descriptæ & à veteribus adhibitæ alia inventa est a JOHANNES DE ROMANIS, quæ magnus apparatus (le grand appareil) nomina babatur, propter instrumentorum, quibus perficitur, numerum. Quo tempore ea CELSO patefacta, ut ab hac distingueretur, nomen parvi apparatus (petit appareil) accepit, cujus itaque inventionis gloria Italici nominatim huic JOHANNI DE ROMANIS debetur, licet eam Italo huic detrachere suæque genti tribuere voluerit AUTOR libri, qui inscribitur: *Recherches critiques & historiques sur l'origine sur les divers états & sur les progres de la Chirurgie en France. Par. 1744. p. 258. seqq.* Sed fide caret, & mera conjectura est valde levis, quicquid ex historia de latrone illo, quam præter alios maxime AMBROSIIUS PAREUS libr. XXIV. cap. XIX. recenset, huc trahere vult, existimans, illi latroni, quod hætenus creditum fuit, non ex renibus sed ex vesica calculum exsectum fuisse à GERMANO quodam COLOTO eadem quidem methodo, qua id fieret in curatione MARIANA. Verum enim vero ipse FRANCISCUS COLOTUS in *Tr. de l'operation de la taille* p. 20, 64. JOHANNES de ROMANIS Patria cremo-nensis de Casalli majori erat & Romæ medicinam fecit. Quo tempore hanc methodum invenerit, certo haud constat. Plerique ad ann. MDXX. hoc invenum referunt, alii ad initium seculi XVI, alii ad ann. MDXXV. ut COLOTUS L. c. p. 64. Neque certum plane est, quo anno MARIANUS JOHANNIS illius discipulus suum ediderit libellum *au-reum de lapide ex vesica per sectionem extrahendo.* Duglassus eam non ut vulgò statuitur, MDXX. demum sed jam MD, prodisse affirmat, vid. Georg Heuermanns *Abhandlungen*



lungen von den vornehmsten Chirurgischen Operationen am menschlichen Körper. 2ter Band. Cap. 13. §. 371. PLATN. l. c. p. m. 939. Id vero certo constat, nil de hac sectione scripsisse illius auctorem, JOHANNEM de ROMANIS, & primum fuisse ipsius discipulum MARIANUM SANCTUM medicinæ Doctorem BAROLI in APULIA natum, qui in allegato libello hanc artem patefecit, & forte magis ornavit; quod si fecit, forsan non plane immerito hæc methodus Mariana diceretur. Verum ipse hic JOHANNIS discipulus tantæ arrogantiae non accusandus est, ut sibi ejusmodi nominis gloriam tribuere aut tribui voluerit. In ipsum enim artis hujus auctorem & Præceptorem suum id gloriæ refundit, gratus hic ejus discipulus & aliquot in locis publice profitetur, illo duce ad hanc medendi artem sibi viam patefactam esse. A laudato MARIANO artem hanc accepit OCTAVIANUS de VILLA, Chirurgus Romanus, qui, licet solus vulgo nominetur, eum tamen solum à MARIANO hanc didicisse artem, nullo argumento probari potest. v. PLATN. l. c. p. m. 940. Inde hæc ars demum propagata ad GALLO-FRANCOS chirurgos, &, quod credere fas est, Italos quoque. Sed vero plane credi nequit, eam ab his per NURSINOS, qui herniarum curationibus inclarescebant, per alias Europæ regiones sparsam esse, ut volunt Jo. RIOLANUS *filius* in Ench. Anat. Pathol. L. II. c. XXXI. & CAMILLUS FALCONETUS in quæst. *an educendo calculo ceteris anteferendus apparatus lateralis?* p. 6. Inter Gallos princeps hac in re artifex jam factus est LAURENTIUS COLOTUS, qui medicinam, tam quæ internis quam quæ externis & manu medetur, exercebat. Hunc ab OCTAVIANO de VILLA hanc artem edoctum fuisse, vix dubitandum est. PLATN. l. c. p. m. 940. Tanta vero dexteritate, tanto applausu hanc chirurgiam faciebat, ut HENRICUS II. Galliae Rex ann. MDLVI. ipsum magno stipendio donaverit, & titulo Lothotomi regii ornaverit, qui honos COLOTI familiæ saltem in Gallia postea proprius mansit. Ab hoc itaque LAURENTIO usque ad FRANCISCUM COLOTUM, qui ultimus ex ea familia fuit, jure quasi hære-

hæreditario, ut olim ars medica in ÆSCULAPII familia, hæc medendi ars propagata fuit. Obiit FRANCISCUS COLOTUS an. MDCCVI. in cuius locum succedebat TOLETUS lithotomi regii titulo & beneficio donatus. Artis hujus secreta COLOTI sibi solis adeo pertinaciter custodiebant, ut SEVERINUS PINÆUS, quem una cum RESTITUTO GYRALTO socium ad-junxit, ne Regis quidem jussu ipso traditis decem illis chi-rurgis hanc artem plane aperuerit. Ipse enim FRANCISCUS COLOTUS in libello illo, quo egregias observationes suas de calculi aliorumque vesicæ morborum curatione an. MDCCVI. publicavit. p. m. 72. scribit, neque hoc, neque quod Noso-comiorum Parisiensium chirurgi COLOTOS in his ædibus vide-rint calculosos curare, hanc vim habuisse, ut *Mariana* curandi via plane aperiretur. Methodus hæc *Mariana* à variis va-rie describitur, quoniam procul dubio ipsum illum rariorem librum inspicere ipsis non licuit. Qua propter hic non alie-num erit, operationis illius descriptionem ipsius auctoris ver-bis repetere. Bene, inquit, examinet operator, ubinam inci-sio facienda sit, cum in hac male examinata possunt insurgere nocumenta. Quorum prius erit, involuntarius urinæ miſtus, ma-xime si muscoli constrictores urethræ incisi fuerint. Alterum est quod non sine mortis periculo fieret, si multum inferius juxta anum abscinderetur, cum maxime vereremur, ne aliqua hæmorrhoi-dalium venarum incidatur, unde multum sanguinis superflueret, tum etiam ne in dilatando aperientis operatio multum extendere-tur ad ipsam vesicæ nervositatem. Quam ab rem ut hæc omnia declinemus, locum ipsum designabimus inter anum & ossis femoris externum, quod duorum extremorum medium dictum est. Hunc locum à dextra parte vel sinistra uno impulsu secundum longitudinem incidat, & eo usque novacula imprimatur, donec operator ipsam in cavum, quod in convexitate est itinerarii, pe-nitus elapsam senserit, ibique parum sicet adhuc, ut superficies canalıs intericr refecetur, cujus longitudo ad unius pollicis lati-tudinem, aut parum plus. Quofacto constringatur aperiens in-strumentum, ut fiat dilatatio tanta, [quanta indigere videtur:
existi-



existimatur lapidis magnitudo, quam, dum ipse exploraret, medicus conceperat, per quam statim forceps in vesicam per eosdem conductores injiciatur. cet. Ut ut vero hoc arcanum Marianum tamdiu COLOTIS quasi hæreditarium manserit, & ne Rege quidem jubente aliis prorsus detectum fuerit, factum est, ut ejus cupidi nisi quidem ab ipsis COLOTIS propriis tamen tentaminibus expiscarentur, & relicta illa a CELSO præmonstrata via hanc elegerint, atque ad nostra usque tempora tenuerint. Ita vero accidit, ut ars hæc ita creverit, & plane prope ab illa mutata & ita emendata fuerit, ut nova tandem dici potuisset. Mitto jam vicissitudines & fata hujus rei & personarum adeo adhuc controversiis obnoxia. Quæ huc autem spectant iterum ex succincta sed accuratiore recensione PLATNERI repeti merentur l. c. p. 942 seqq. Præcipue autem in emendanda illa methodo inclaruit cel. DRAN, qui conprimis meliora magisque commoda excogitavit instrumenta. v. *Ejus Tr. des operations* & GUNZII *observat. de calcul. curandi viis*. Horum aliorumque ferramentorum delineationes æque ac totius correctionis methodi descriptiones apud omnes recentioresprehendimus auctores; præsertim apud cel. HEISTERUM in opere ejus majore, apud laudatum DRANIUM *Parall. de differ. man. de tirer la pierre hors de la Vessie*. SCHARPIUM *Tr. des operations*, GARENGEOT. *Tr. des instruments chirurgic*. G. HEUERMANN l. c. volum. II. c. 73. §. 377. ESCHENBACH *Chirurg*. §. 652. PLATN. l. c. §. 1363-1374. Plura tamen sat gravia ut ut tot modis emendata methodus habet *incommoda*. Si propius a scroto instituitur incisio, difficilis est ad vesicam incisio, & præterea prostata non illæsa manet; dilaceratæ autem partes gravioribus semper obnoxia sunt periculis, quam quæ acuto instrumento scinduntur. Licet autem loco paululum inferiore plaga fiat & prope tuberositatem versus ani mediam partem, prostata tamen vesicæ discinditur. Si incisio recta deorsum fit, facile una inciditur intestinum rectum, quod sub ipsa hac operatione



tione in eo nixu plerumque est, quo versus hanc plagam urgetur. Porro vix ac ne vix quidem evitari possunt læsiones generationi dicatarum partium, vesicularum scilicet seminalium & ductus ejaculatorii. Præter generandi impotentiam igitur & alia pessima inde produci possunt symptomata, effluxus, coluvies & stagnationes in cellulosis partibus, unde solidarum partium corruptiones, inflammationes, in continentia urinæ, fistulæ non amplius sanandæ; & quia instrumenta, quibus eximuntur calculi, toties os pubis inter & anum intrudi oportet, partes vicinæ eo facilius læduntur. Neque hæmorrhagiæ graviores hic facile præcaveri possunt. Neque denique calculi majores sine gravioribus partium dictarum læsionibus eximi possunt hac via. v. HEUERMANN l. c. §. 374. Mem. de l' Acad. de chirurg. T. I. p. III. p. 272. T. IX. p. 367. MERY. obs. DRAN parallele ed. germ. p. 80, 83, 168. SCHARP. p. m. 222. Huic ut reliquis inferiorum vesicæ pro calculis eximendis sectionum speciebus opponitur *alta*, seu *hypogastrica*, quæ vulgo *adparatus altus* (Le haut appareil) vocatur, quia in illa summa vesicæ pars in imo abdomine inciditur. Jucunda & solida brevitate eam describit PLATN. l. c. §. 1390. Huic addantur ex recentioribus biga ANONYMORUM v. KÆSTNER. T. II. C. VIII. §. VIII. BORETIUS, ELIAS CAMERARIUS, DE BREVILLE v. HEIST. *Tit.* CYSTOTOMIA & PLATN. l. c. §. 1356. Schol. p. 946. CHESELDEN. JOH. DUGLASSIUS, HEISTERUS, HOUSTONICS. v. PLATN. l. c. MIDDLETONUS, MORANDUS, PLATNER l. c. PROEBISCHIUS, SERMES, TIMME, HEUERMANN. l. c. §. 392. De hujus methodi prærogativa adhuc sub judice lis est. Ipse PETRUS FRANCO, qui casu hujus methodi Autor ann. 1560. factus est, eamque felicissimo successu adhibuit, unde *Franconia* quoque appellebatur, nihilominus illam jam rejecit, & medentes admonuit, ne quod ipse coactus fecerit, imitarentur. v. EJUSD. trait. des hernies. de l'ann. MDLXIII p. 139. Rejecerunt post eum & neglexerunt eam in hunc usque diem plerique. Sunt tamen alii, qui aliter sentiunt. Inter quos



refero sæpius jam laudatum PLATNERUM, qui recensio-
 suæ inventi hujus l. c. addit; FRANCONEM ita sentientem,
 auctoritate HIPPOCRATIS, occæcatum existimasse, vul-
 nera, quæ corpori vesicæ infliguntur, mortem afferre. Post
 FRANCONEM primus, quod magna cum verisimilitudine
 ex historia medica colligere licet, hanc viam tenuit, lauda-
 vit, ipsique nomen *haut appareil* imposuit ROSSETUS in
 libello, l'enfentement Césarien Paris. 1631. p. 77. Eandem
 repetiit & patefecit in libro, quem inscripsit, *Part. César.*
Affert. Histor. p. 266. seqq. PLATN l. c. HILDANUS po-
 stea. L. *de Lithotomia vesicæ* Bas. 1628. qui liber in operibus
 ejus multo auctior habetur, eam primum vituperavit, deinde
 approbavit laudavitque. Omnium maxime eam collaudavit
 chirurgisque parisiensibus exercendam commendavit NICO-
 LAUS PIETREUS, medicus Parisiensis, eumque in finem
 ann. 1635. hodie raroem proposuit QUÆSTIONEM, *an*
ad extrahendum calculum diffecanda ad pubem vesica? DIONIS
 adeo non dubitavit eam reliquis lithotomiæ methodis præfer-
 re. Idem sentit M. E. BORETIUS in *dissert. de operatione*
alta. Obtinuit eadem in Anglia. Ipse HEIST. eam tenta-
 vit. v. *Ejus dissert de alto apparatu* 1728. Etiam PARISIIS
 ea fuit exercita v. MORAND. *Tr. de la taille au haut appareil*
P. 1728. DE BREVILLE Medicus parisiensis in *Quæst.*
an educendo calculo ceteris anteponendus altus apparatus?
P. 1734. Recentissime eam restauravit LE CAT & aliis
 prætulit G. HEUERMANNUS l. c. §. 390. seqq. Re-
 liqua quæ ad hanc spectant historiam peti possunt ex
 PLATN. l. c p. 944. seqq. In hanc equidem controversiam
 me jam non demergam. Hoc unum est, quod addam. Om-
 nia priora inventa & adhibita artificia non eam vim habuisse,
 ut artis magistris ex votis satisfecerint. Inferiores præfer-
 tim calculi sectiones, ut ut omni tempore & quovis modo
 correctæ, tot premi deprehensæ sunt difficultatibus, ut aliam
 studiose quæsierint, invenerint tandem, & hætenus cum
 meliori successu exercuerint. Est vero illa quæ appellatur *la-*
teralis sectio, cujus species est *Moreauiana*, aliis lateralibus hæ-
 tenus usitatis, ut ut studiosissime à plurimis emendatis om-
 nino

nino præferenda. Remotis itaque removendis pedem propius figere possum in ostendenda prærogativa methodi *Moreauiana* præ ceteris lateralibus. Demonstratio hujus prærogativæ supponit comparisonem hujus cum reliquis, ipsa autem comparatio involvit tam ipsius *Moreauiana*, quam receptorum hætenus methodorum cognitionem. Non nude itaque communicaturus novam hanc methodum, sed ostensurus eam ceteris omnibus lateralibus sectionibus antepondendam esse, has primo pro hujus finis ratione delineabo, & tum novam illam candide ab ipso autore mihi relatam ostensamque eadem integritate communicabo. Tum enim ex hujus cum illis comparatione perspectu facile erit, magna quidem & laudabili opera hætenus in adparatu hoc laterali emendando artifices occupatos fuisse, eumque ad majorem perfectionem omnino etiam evectum esse; cel. vero MOREAU ita eum correxisse, ut nil superfit, in quoquid amplius illi accedere possit. *Sectio lateralis* ea appellatur, in qua plaga a latere cum perinæi tum itineris urinæ & vesicæ infligitur. Ante MOREAUII inventum ceteris præferendum & hic maxime cum publico communicandum, variis modis jam emendata est ab artificibus, qui ei operam navarunt, & à diversis studiis diversa sortita est nomina, quæ ut in aliis scientiarum generibus rectius à rebus ipsis, quam à Personis imponerentur. Sed dandum nonnunquam aliquid consuetudini, & forte etiam philantiæ inventorum. Præcipue hujus sectionis methodi proinde dictæ sunt FRATRIS JACOBI methodus, *Raviana*, *Cheseldeniana*, *Lecatiana duplex*, *Fubertiana*, FRATRIS COMI, & THOMASII; atque ego his jam addendam dixerim *Moreauianam*, ut ut id fieri prohibeat modestia Optimi hujus inventoris ab ejusmodi sui æstimatione tam alieni, ut lubens quæ non sua, in alios, & quæ sua etiam sunt, lubentius in rem ipsam refundat. Repetamus varias hujus sectionis methodos, ab eo, qui primus *illius* inventor existimatur. Fuit is FPATER JACOBUS DE BEAULIEU in oppidulo BEAUFORT in BURGUNDIA natus an. MDCXCVII. qui PARISIAS venit, & mox præsentibus medicis atque chi-



rurgis regiis & deinde Magistratus jussu in *nosocomiis charitatis* & *domus DEI PARISIIS* sua hac in re edidit specimina. Quumque ex Monachorum ordine esset, neque obscure perhiberet, hanc sibi artem quasi divinitus revelatam esse, factum est, ut magna æstimatione exciperetur. Sed brevi evanescebat tanta fama. Damnabant hanc ejus curandi viam MERYUS de LAUNAY & COLOTUS. Sed ego hic JACOBI tentamina non disquiram. Hoc attamen negari nequit, illum ab initio multa pericula per mortem fecisse, quod aliter fieri non poterat, cum in anatomia & chirurgia hospes esset, atque instrumentis crudis & incongruis uteretur, nec unquam suos ægros debite obligaret. Postea tamen convictus de erroribus suis eos emendare studebat, & meliora se edoceri patiebatur à medicis & chirurgis parisiensibus, præsertim à MERYO & prætera quoque ab HUNOLDO medico *Andepavenfi*, autore libri qui inscribitur: *Histoire du procédé DE FRERE JACQUE*. Et ipse JACOBUS librum edidit, cui titulus: *nouvelle methode de tailler & tirer la pierre de la vessie*. Reliqua JACOBI historia legitur in HEIST. inst. chirurg. p. m. 988 seqq. Deinde medici & chirurgi hanc chirurgiam corrigere studebant; nova enim hacce methodo FRATRIS JACOBI diligenter examinata intelligebant, eam re vera haud ineptam esse, quoniam partes *prostata* scilicet & *cervix vesicæ*, quæ maxime resistunt extractioni calculi majoris, hic inciduntur, & ita calculo exitus liberior & sat amplus conceditur, adeoque symptomata, contusiones, inflammationes &c. apparatusi magno propria evitantur. Post JACOBUM RAVIUS *Batavus* in hac arte inclaruit, utpote qui operationibus JACOBI interfuit, & postea mortuos cultro anatomico subjecit, eaque ratione didicit corrigere JACOBI errores. Alii tamen contendunt RAVIUM non à JACOBO sed à MERYO meliora edoctum fuisse. unde HEIST. in *diff. de apparatu alto* p. 11. *Ravianam* esse dicit *Meryanam*. Verum hoc non ita se habere egregie probat PLATN. l. c. p. m. 950. Ceterum encheireses suas celabat RAVIUS quærentibus, dicens, aperte victum sibi inde peten-



petendum esse, adeoque, dum viveret, nil de hoc se pateretur esse & si quid etiam dicere cogeretur, verum non dicturum esse. Ut plurimum respondebat sciscitantibus: *legite CELSUM*. Methodum hancce *Ravianam* pulchre descriptam legis in *ALBINI Ind. supell. anat. conf. ALBINI PATRIS orationes in obitum RAVII*. Etsi vero DENYSIUS qui se solum callere methodum *Ravianam* assererat, in libello inscripto *observ. chirurg. de calculo. Lugd. Bat. MDCCXXXI*. quovis modo contendat probare, hanc rationibus reliquis lithotomiæ præferendam esse, post ipsius tamen mortem in BELGIO neglectam jacuisse referunt hanc methodum donec CHESELDENUS ann. MDCCXXVI. illam revocaverit & emendaverit. Hoc tempore in eo simul inclaruit Dr. BAMBER. Quum vero insigniores hujus curandæ viæ CHESELDENO debeantur, illa *Cheseldena* nuncupata est, de qua præcipue cel. MORAND *mem. de l'acad. MDCCXXXI*. Tam felici autem successu hanc operationem perfecit CHESELDENUS, ut ex viginti septem, quos continuo secabat, ne unum quidem, ex quadraginta sex autem, duos tantum perderet, de quibus jam ante operationem futuræ salutis spes vix effulgebat. Eandem viam eodem successu tenuit SCHARPIUS, ut felicis hujus operationis fama cel. MORANDUM an. MDCCXXIX. Londinum invitet, quo posset hanc à CHESELDENO addiscere artem. v. cel. MORANDI epistol. ad ill. SENACUM in *mercure de France Dec. MDCCXXIX*. Ita vero hæc calculosis meddendi ars ad Gallos tam felici eventu translata est, ut plurimi sectione hac laterali in GALLIA ab eo tempore usi fuerint, ut habet HEIST. *A. R. Sc. ann. MDCCXXI. MDCCXXIV. MDCCXXXVII. MDCCXXXVIII. seqq.* Tandem hanc viam ceteris omnibus anteponendam publice adeo defendebat CAMILLUS FALCONETTUS in *Quæst. an educendo calculo ceteris anteferendus adparatus Lateralis?* Quod enim de sectione Laterali in universum dicitur id de emendata *Cheseldeniana* prope dici potest, ut jam monuit PLATN. l. c. p. 952. modo excipias infra communicandam *Moreauianam*. Neque ipse Cel. CHESELDENUS sua



artificia in arcanis habuit, uti RAVIUS, sed luculenter ea cum publico communicavit in *append.* ad quartam Anat. editionem. Nimirum, ut ipse refert, ægrum ut in magno apparatu ligat; ipsum mensæ horizontali ita imponit, ut caput ejus solum sit paullo elatius, dorso ejus pulvinar subdit, & ministris firmato immittit catheterem, quem tradit ministro peritiori ad dextram ægri stanti, ut illum teneat dextra oblique ad coxam mota, sinistra vero levet scrotum. Tenta jam cute eaque sursum tracta, quantum fieri potest, incisionem perficit latum circiter pollicem supra anum, super catheterem deprimens lithotomum haud plicatilem usque in telam adiposam. Et sic continuat versus latus sinistrum, paulisper infra anum, usque ad tuberositatem ossis ischii. Non sufficiente primaria, ut sæpius accidit, incisione eam repetit. Plaga hacce exteriori facta in sulcum catheteris, ubi ejus reflexio est, introducit unguem digiti indicis manus sinistræ, & ibidem super eodem ungue mucronem lithotomi demittit. Jubet ministrum catheterem tenentem hunc versus arcum ossis pubis dirigere; ipse retrahit digitum è sulco, eoque intestinum rectum deprimit, ne hoc vulneretur, & interim protrudit lithotomum per colulum & prostatam in ipsam vesicam. De quo certus est quando urinam effluere videt. Ita incisio facta est Tab. æn. fig. 2. de litt. (b) ad (c) & ob latitudinem scalpelli, quæ quidem haud magna est, de litt. (c) ad (d). Quando eo pervenit, retrahit lithotomum, dorso ejus imposito digito sinistræ, quo intestinum rectum avertit, & sic diffecat collum vesicæ & prostatam, quoad oportet. Nunc deprimat manubrium scalpelli, ut pro commodo urinæ effluxu diffecet telam adiposam usque ad litt. (e). Plaga hacce repræsentat pyramidem, cujus apex est in vesica, litt. (c) & (d) & basis in cute, litt. (b) & (c). Prostata in latere sinistro pars dimidia ita tantum dissecta est. Via satis ampla cognoscitur, quando digitus sentit tumorem aliquem à reliquiis prostatae formatum. Tum lingula conductoris, qui solito latior & manubrio simplici retrorsum flexo instructus est, sulco catheteris juvante digito indice adaptatur, uti supra dictum est de applicatione scalpelli; & de-



& deprimendo catheterem, compellit conductorem in ipsam vesicam; copiose effluente urina retrahit catheterem, digitum gliscit super conductorem in vesicam, dilatandi gratia vulnus colli vesicæ, quo forceps eo facilius introducatur per sulcum conductoris, tum invertitur & conductor & forceps insimul ita ut hic sit inferius & ille superius, qui statim educitur. Tenens forcipem, rostro clauso calculum quærit, illo reperto rostrum aperit, & calculumprehendit, digitos in brachia forcipis immittit, ne ejus morstu vehementiori justo apprehensum calculum diffingat. Postea forcipem blanda rotatione in omnem sensum facta lento motu educit insimulque calculum. Nunc sinistra immittit instrumentum illud, *bouton* dictum; & ejus spinæ adplicat rostrum forcipis, eamque sic propellit in vesicam & retracto illo conductore scrutatur, num quis calculus adhuc restet in vesica, eumque si quendam agnoscit, modo dicto eximit. Calculis liberato ægro ligamenta solvuntur,isque in lectum transfertur, teguntur partes vulneratæ panno ter quaterve implicito & sic relinquitur per tres vel quatuor horas. Postea plaga obligatur, & curatur. Maximum hujus methodi incommodum est, uti in reliquis sectionibus lateralibus, *hemorrhagia*. vid. DRAN. parall. p. m. 43. HEIST. instit. P. 11. S. v. c. CXLIII. Methodus Dn. CATII qui ROTHOMAGI hanc artem magno cum applausu exercebat, non multum differt à præcedente, nisi quod usus est scalpello, ad collum vesicæ incidendum, cujus lamina est paulisper incurva & minus lata. Ad plagam externam autem infligendam scalpellum adhibet, cujus lamina anceps est, longior, latior priori & divisa in duas partes mediante sulco, per quem mucro prioris scalpelli in sulcum catheteris protuditur. Differt itaque à priori tantum ratione instrumentorum, & quod peculiare fasciæ genus excogitaverit pro ligandis calculosis, quod ceteris præstat. Fama de RAVIO vesicam solam aperi-ente, *Albiniana* descriptione confirmata, plures excitavit ad hanc curationem reperiendam, & inter hos erat quoque FUBERTUS celebris chirurgus parisiensis, sed nunquam vesicam incidere potuit hacce methodo, ut collum insimul non disse-



dissecaret. *mem de l' acad roy. de chirurg.* T. I. p. III. p. m. 279. Persuasus autem illam methodum optimam esse, per quam collum vesicæ non lædatur, excogitavit an. MDCCXXVII, instrumentum, quod constat acu triquetra solito longiori, majori, & cujus cannula in parte superiori per omnem longitudinem fissæ est, ut super ejus rima gliscat lithotomus similis cultro recto, quo utimur in amputationibus pro cute incidenda, cujus lamina tamen ita parum inflexa est, ut faciat angulum obtusum cum manubrio conductor, quo utitur, bifidus, quando ejus extrema comprimuntur. Ab initio adimplevit vesicam injectione, sed noxas injectionis edoctus eas vetat, & modum ROSSETI in apparatu alto imitatur, & ægrum multum ptisanæ cujusdam prius bibere jubet. Vesica sic satis repleta, peni applicat instrumentum MUCKII, ne urina possit emitti. Barl. von den Bandagen. p. 156. & rite præparato ægro, eum tabulæ imponit horizontaliter, & ut certior sit de sufficiente quantitate aquæ in vesica, indicem sinistræ manus oleo unctum in intestinum rectum demittit, & altera manu regionem hypogastricam comprimit. Rebus bene se habentibus chirurgus minister manum imponit regioni hypogastricæ, ut propellatur vesica versus perinæum. Tunc locum incisionis pollicem unum supra anum, perinæum inter & tuberositatem ossis ischii sinistri lateris, digito indice assignat, atque dextra manu secundum longitudinem acum triquetram fistula sua munitam oleoque madidam intrudit usque in vesicam; acum penetrasse illico manifestat effluxus urinæ cum sanguine juxta cannulam. Tum retrahit acum parumper, ut abscondat mucronem, ne lædat parietes vesicæ collabentes. Postea scalpelli dorsum gliscit superfissura cannulæ ad ejus usque extremitatem, deprimit manubrium scalpelli, & elevat sinistra paululum machinulam, & sic amplificat incisionem. Cuspitem lithotomi reponit in fissuram fistulæ elevando ipsius manubrium, & ita retrahit illum eadem via qua immissus erat, sed relicta acu triquetra, ut in hujus fissuram possit adplicare conductoris bipartiti lingulam, - cujus convexitas superiorem vulneris angulum respicere debet, eumque ita compellit in
vesicam

vesicam; educit machinulam, invertit conductorem, dilatat parum vulnus, immittit per concavitatem conductoris forcipem, eximit conductorem, calculum quærit, eoque prehensio, illum lento motu extrahit. In hoc modo secandi incisio fit in parte laterali ipsius vesicæ, & ita neque ejus collum neque partes vicinæ afficiuntur, unde sæpius magna incommoda oriuntur, ut v. gr. inflammatio, infiltratio, impotentia &c. porro catheterismo non opus est, qui non raro maxime molestus & interdum plane non institui potest, quia catheteris trajectui sese opponunt lapilli, vasa varicosa urethræ, tumefactum hujus cellulosum textum, famosæ sic dictæ carunculæ. v. GARENGET. des operat. T. II. p. 23. 31. In hac ergo methodo extractio calculi perquam facilis est, & nunquam incontinentia urinæ timenda. Multum itaque præstaret, nisi commodis hisce majora obstarent incommoda. Primo enim facile accidit, ut punctio acus triquetra vesicam non attingat. Nam quando aut æger nescio operatore urinam mittit, uti auctori ipsi in nosocomio CHARITATIS parisiensi accidit. mem. de l'acad. de chirurg. t. I. P. III. p. 299. aut quando vesica non satis distenta, vel nimis parva est, acus gliscit trans membranas externas. Secundo muscoli transversi vix dissecti impediunt calculi extractionem, quam ob causam auctor paratum habuit scalpellum, ut posset musculos hosce satis disseccare. mem. de l'acad. de chir. T. IX. p. 413. Tertio inciditur cutis nimis alte, unde morbi scroti. Quarto per vulnus vesicæ in parte laterali superiori materiæ morbosæ non facile ejiciuntur. DE LA FAYE *remarq. sur Dion.* p. 255. n. 6. Quinto forceps non potest immitti bis aut sæpius, vesica enim depleta partes collabuntur, ut vulnus interius iterum assequi non possit operator. Sexto hæmorrhagia evenit, uti in methodo *Cheseldeniana* & adhuc major, quia arteriæ internæ vesicæ facile læduntur. DE LA FAYE l. c. p. 255. n. 4. Septimo accidit etiam, ut vesica una pluribus locis vulneretur, vel utrinque confodiatur, tum urina effluat in pelvem, quod causaretur putredinosam viscerum abdominalium infectionem. Octavo symphisis ossium pubis facile con-

D

vulne-



vulneratur. DE LA FAYE l. c. p. c. nro. 5. Tot ob incommoda methodus hæc Foubertiana non amplius exercetur, nisi ubi accadat, ut calculoso catheter non immitti possit ob rationes allegatas supra, & ad methodos, quæ absque catheteris ope perficiuntur, confugiendum sit. Tum enim præstat Foubertiana. Differt. KESSELRINGII HALÆ 1738. Ceterum auctori huic multum debemus ob hoc inventum. Aliud instrumentum in Gallia inventum est, & hodie adhuc ab autore suo aliisque artis chirurgicæ gnaris, uti mihi met ipsi PARIISIIS videre contigit, adhibetur. Instrumentum hoc (Lithotome caché) sat cognitum est, & ab autore, cui nomen est FRATER COMUS, & in mem. de l'ac. de chirurg. Tom. IX. p. 371. seqq. descriptum. Figuram ejus delineatam adjicere abs re hic non esse existimavi v. Tab. æn. f. 1. Sectio hæc lateralis sequendi instituitur modo. Cathetere immisso & ministro tradito, qui altera manu scrotum attollit, Auctor cutem tendit, eamque cum adipe incidit prope perinæum $1\frac{1}{2}$ pollicem supra anum, & incisionem continuat usque ad tuberositatem ossis ischii, uti in methodo Cheseldeniana, tum quærit digito indice sulcum catheteris, eoque invento urethræ vulnus infligit, ut lingula instrumenti in sulcum applicari possit. Hoc peracto deprimit manubrium catheteris & instrumentum angulum cum cathetere formans, in vesicam usque propellit; de quo certus est, quando urina effluit; educit deinde catheterem, quærit calculum instrumento, ut possit judicare de ejus magnitudine, secundum quam apertio instrumenti ad num. v. gr. 5. 7. 9. &c. instituitur, quæ fit mediante manubrio mobili (C) circum axin suam (D), quando nimirum manubrium in sex latera, quæ numeris 5. 7. 9. 11. 13. 16. assignata sunt, divisum ope sui elateris (E) circumagitur, ut latus ejus v. gr. 9. sit infra extremitatem caudæ laminæ. (A) Tum illa depressa sua cauda exit è vagina ferrea (B) & spatium ad num. 9. in cuspide lithotomi notatum dissecat. v. Tab. æn. f. 1. Ita facta incisione sufficiente in collo vesicæ, instrumentum retrahit horizontaliter è cer-vice, ne fundus vesicæ vulneretur, tum vero deprimit manubrium, & facit sectionem parallelam illi sectioni, quæ facta

 ta est in cute. Reliqua more solito peragit. Methodus hu-
 jus curationis simplicissima est, sectio Lithotomi maxime  -
 qualis, quod multum pr stat; incisio enim, qu  fit uno
 impetu, plagam facit  qualem, qu  eo facilius curatur; &
 si vulnus exterius magis deorsum infligitur, curatio eo fa-
 cilior est. Hoc tamen artificio non plus pr statur ac metho-
 do *Cheseldeniana*. Quin immo incommoda eadem & adhuc
 plura habet. Namque quando vesica contracta parva est,
 ejus fundus facile l ditur. Secundo urethra nimis altius
 inciditur, unde fit, ut cutis, qu  dum plaga exterior fit,
 versus scrotum tensa, nunc sibi relicta se demittat super an-
 gulum superiorem incisionis urethr , & sanguinis exitus im-
 pediatur, unde gravia imminent Symptomata. mem: de l'acad.
 de chirurg. T. IX. p. 375. Tertio experientia docuit instru-
 mentum ad numerum 5. apertum totam prostatam disse-
 casse, & ita aperturam ad reliquos numeros superfluum &
 perniciosam esse. mem. de l'ac. de chir. l. c. p. 383. Quarto
hemorrhagia major extimescenda est ac in methodo *Chesel-*
deniana. mem. de l'ac. l. c. p. 383. Dominus THOMASIIUS
 Chirurgus Nosocomii Parisiensis, BISETRE dicti, litho-
 tomiam optime in vesica sola ill so collo ejus & prostata in-
 stitui posse sibi persuadebat, uti cel. FUBERTUS. Hanc ob
 causam simile prope instrumentum excogitavit. Differt se-
 ctio, qu  instrumento hoc fit,   sectione instrumento FRA-
 TRIS COMI & Domini FUBERTI facta, quod non incida-
 tur cullum vesic  sed vesica ipsa, neque sursum sed deorsum.
 Methodus hocce THOMASII fere eadem habet incommoda,
 qu  *Fubertiana* exceptis numeris 3. & 5. Instrumentum
 hoc tam grande quoque maximos  gro infert dolores. Au-
 CTOR interim hoc modo plures curavit brevi tempore. mem.
 de l'acad. de Chir. l. c. Sed accedamus jam ad eam calcu-
 los secandi viam, cujus pr rogativas monstrandi causa h c
 h ctenus dicta sunt. Invenit eandem CEL. MOREAU, Chi-
 rurgus inter Parisienses famigeratissimus, atque publici Nosoco-
 mii (l' tel de Dieu) Chirurgus Primarius, Academiaque Chi-
 rurg. regie sodalis, & penitior ejus consideratio docet, eam



omnia apparatus lateralis habere commoda. Scalpello utitur, cujus acies tres pollices longa. Anceps est illud & vix sex lineas latum in parte a cuspide remotiori. Cum vero metuendum esset, ne frangeretur, dum profundius immitteretur in membranofam urethræ partem & vesicæ collum, maximam illi crassitiem media in parte conciliare necessarium duxit. Hujus instrumenti ope suam operationem ita peragit. Ægro, uti moris est, locato, & firmato, catheterem e chalybe confectum in vesicam demittit, illiusque manubrium sinistra manu ipse continet. Minister ab ægri dextra positus scrotum elevat. Ipse sinistram genu flectit, & catheteris sulco explorato scalpellum fasciola usque ad partem cuspidi proximam obvolutum in modum calami scriptorii dextra apprehendit & obliquam celebrat sectionem in perinæo. Sectio illa duos pollices cum semisse ut plurimum longa à media perinæi parte ad ischii sinistram protuberantiam descendit, cutemque nec non exteriorem textus cellulosi partem dividit. Hisce peractis catheteris sulcum rursus explorat, ut nempe scalpelli cuspidem in membranofam partem ultra bulbum possit infigere. Cum autem illam ita demissam sentit, manu sinistra motum dirigit, ut catheteris manubrium antrosum vergat, dum dextra scalpello armata convexam & sulcatam catheteris partem percurrit, donec ad ejus extremum pervenit, atque vesicæ collum attigisse videtur. Nihil huc usque fecit, quod à cognita sectionem cateralem peragendi ratione multum differret, præterquam quod catheterem ipse continuit, scalpelloque longiori & angustiori usus fuit. Verum enim vero nisi CANDIDISSIMUS ille chirurgus reliquas suas encheireses ipse explicaret & ostenderet, spectatoris vel oculatissimi oculos effugerent. EÆ autem huc redeunt. Prioribus peractis elevat parumper manubrium Scalpelli atque ejus cuspidem è catheteris extremo v. Tab. æn. f. 3. litt. (c) dimovet, & lithotomum paulatim retrahendo lateralem & sinistram secat prostatæ partem usque ad litt (d) & (e) donec minori resistantia edoctus vesicæ collum bene apertum esse cognoscat. Tunc dextra manu lithotomi cuspidem in catheteris

teris sulcum repōnit, manumque deprimendo exteriorem
textus cellulosi sectionem perficit à litt. (c) ad litt. (f). Cal-
culum deinde more consueto explorat, apprehendit educit-
que lento motu. Artis peritorum nemo non videt, maximam
huic methodo tribuendam esse prærogativam, & perfectio-
rem illam esse vel optimis hucusque detectis sectionibus
lateralibus. Si enim cum prioribus comparetur, in hac feli-
cissime remotæ sunt, quibus illæ premuntur, difficultates
noxæque, toties lethales, præsertim hæmorrhagiæ adeo
funestæ & tam frequentes. Cum enim peraëla colli vesicæ
sectione cuspidem in catheteris sulcum reducat, fieri nequit,
ut circum positam textus cellulosi partem, vasaque arteriosa
pudenda media provenientia, angulum muscutorum accele-
ratorum & erectorum trajicientia, & ad urethræ bulbum pro-
ducta incidat. Neque, quod haud parvi momenti commo-
dum est, v. SCHARP. p. m. 204. catheteris manubrium mi-
nistro, quod ut debite dirigatur, tantopere interest, com-
mittere opus habet operator. Ceterum hanc Cel. MOREAU
sectionem cum ea quam olim laudatissimus inter *Batavos*
chirurgus RAVIUS tanto perficiebat successu, quamque clam
servandam esse judicabat, quodam modo comparari posse
haud negaverim. Eadem enim est scalpelli forma, catheteris
continendi ratio, & collum vesicæ incidendi methodus. Ve-
rum de occultis & dubiis judicare non ausim. Quid enim tum
postea? Ita tamen candidus hic AUCTOR, quod ille celavit,
in publicos usus destinavit & ornavit non modo, sed & mi-
randa manuum suarum auxiliatricium dexteritate in misero-
rum solatia strenue & indefessa sedulitate hætenus executus
est felicissime; suisque ipsis factis comprobavit ut methodi
prærogativam & certitudinem, ita suam in rebus chirurgicis
industriam & dexteritatem. Qui honos ipsi manebit apud
omnes cordatiores æquioresque rerum salutarium arbitros.
Equidem gratissima & nunquam intermoritura candoris ipsius
æstimatione agnoscam, quod adeo amice lubenterque
detegere voluerit & mihi & reliquis suis auditoribus me-
thodum hanc, universo orbi utilem futuram. Quinquagesies



certe operationem hanc ab ipso ejusque discipulis institui vidi, & *hæmorrhogiam*, reliquis methodis tam communem, nunquam accidisse observavi, ac persuasus jam sum, istam nunquam oriri posse, nisi lusu naturæ arteria, quæ tam apte evitatur, præter consuetum naturæ cursum ad urethræ decurrat bulbum. De hujus a *Cheseldeniana* methodi discrimine, hæc tantum adhuc addenda sunt. Differt illa nimirum à *Cheseldeniana*, quod in hac sectio unum modo triangulum sicuti in tab. æn. fig. 2. litt. (b. c. e.) in illa vero duos quasi formet triangulos, vid. tab. æn. f. 3. litt. (b. e. f.) & (e. c. d.) Dubiorum, quæ contra hanc methodum moveri possent, nil habeo præter unum. Dubitari enim posset, annon idem ipse triangulus ob præcavendam hæmorrhagiam factus ansam præbere possit collectioni materiæ e vesica profluentis. Verum angulus ille f. 3. (e) non adeo acutus est, ut exitum huic materiæ non concedat, & experientia docuit, nondum inde provenisse id incommodi. Neque denique opus erit multis jam exponere, qua medendi ratione finis imponendus sit huic operationi. Vulneris hujus sanatio enim ea, qua in similibus casibus methodo perficitur, quæ in omnibus therapiis melioris notæ præscripta est, & ex illis facile repeti potest, atque per individua secundum artis regulas adplicari.

T A N T U M!

PRÆNOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R Æ S E S.

*Qui non ita pridem alterius primarii Illustrum ARCHIA-
 TRORUM CLEMENTISSIMI DUCIS NOSTRI filio
 ad altiores in subselliis nostris honores viam parare, non potui
 non honori mihi ducere & habere gratissimum, jam alterius AR-
 CHIATRI filium eodem fine in publicum producere jussus, non
 minus*



minus ambitiosa prope animi voluptate me adfici sentio. At Te PRÆNOBILISSIME DOMINE CANDIDATE jam promotum promovendum sistere, nonne id paradoxum videri poterit? Non poterit, iis saltem non videbitur amplius, qui norunt, TE à nostris ad EXTERORUM, ad ARGENTORATENSIMUM, ad PARISIENSIMUM Musas translatum talem TE gessisse, quem inde reducem jam EXTERORUM testimoniis ornatum Ipse SERENISSIMUS PRINCEPS Noster, ut alterius ARCHIATRI ita & OPTIMI PATRIS TUI officia clementissime remuneraturus Medici Aulici dignitate condecorari & stipendio annuo juvari dignum judicavit. Qui igitur fieri potuit, ut talis ad nos non accesseris, quem ordo noster non indignum inveniret, ut ad academicos quoque summos honores & privilegia proveberetur. Gratulor TIBI TUISque hæc omnia. Ut Providentiam interpretaberis omnino inque hujus gloriam pia mente refundes res hasce TUAS tam late & prospere fluentes. Ita vero Supremo sortis nostræ Arbitro annuente omnia porro Tibi bene & feliciter evenient. En! Summam votorum meorum. Ne vero sola gratulatione hanc ad TE absolvam epistolam, remque, quam egregie tractas plane intactam hic relinquam, ad illam paucula adhuc addam. Novum illud inventum, quod tecto AUTORIS ipsius nomine, utpote vulgo nondum cognitum, publicare potuisses, ut fas est, candide & aperte suo tribuis AUTORI, alienus ab eorum moribus, qui quicquid alii agunt inveniuntque mox expiscantur, furantur, furtisque ejusmodi toties publicum decipiunt. Ita quidem non quod Tibi debemus, speciminis loco proponis. At ne sic quidem male. Eo ipso enim melius edidisti specimen ac ii, qui quodvis ex sua suppellectile sæpius tam curta adhuc invita Minerva depromere conantur. In eo quoque caute & prudenter agis, quod laudatæ methodi Moreauianæ comparisonem non nisi cum lateralibus hætenus optimis ubique habitis institueris iisque illam nominatim prætuleris. Sic enim prævisa & præcauta tibi est res maxime controversiosa, cui TE immiscere noluisti. Quenam nempe apparatus alti sit prærogativa nondum inter omnes constat & adhuc sub judice lis est. Saltem grandiores calculi non nisi hac via
eximi



eximi possunt. Nondum certum & deliberatum satis est, quantum roboris habeat eorum contra hanc sectionem epigastricam argumentum, qui in ea vulnus curatu difficilius infligi dicunt. Namque ipse Cel. HEISTERUS hoc tantum pro accidente habet apud solos etate provectiores. Tum non obstaret, difficilior hac curandi ratio, quæ quoad reliqua omnium tutissima est. Præter HEISTERUM aliosque, qui laudant hanc methodum, hic maxime allegari meretur HEUERMANNUS, qui propria experientia edoctus pluribus hanc sectionem describit atque commendat. Idem quoque AUTOR conferri meretur in articulo de sectione laterali, de qua emendanda notatu digniora habet, quæ à Moreauianis propius absunt, adeoque in horum cum ceteris comparatione præcipue consideranda sunt. Ceterum harum operationum una ceteris non obiter, sed non nisi ceteris paribus præferenda est. Neque enim omnibus eadem convenit. Quia ne ipsa, quam ceteris lateralibus omnibus præferendam esse demonstras, Moreauiana ubique adhiberi potest. Nam v. gr. neque enormis molis calculus, per solum altum removendus, neque vesicæ cervici insidens, ut repelli nequeat, neque alius ubi fistulæ specilla in vesicam demitti nequeunt, vel per altum iterum, vel per Franconianum, vel in junioribus per parvum, cellicum, dictum extrahendus, per illam educi potest. Tantum hac vice ad TE nostrosque LECTORES benevolos æquioresque rerum medicarum iudices, quos junctis precibus salvos esse jubemus.

Dabam e Museo. Die 28. Sept. 1764.



